

coeli, et pisces maris.<sup>1)</sup> Ergo omnia subjecta esse homini de nostris didicerunt, et ideo censent propter hominem esse generata. Hominem quoque hominis causa generatum esse in libris Moysi reperimus, dicente Domino: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.<sup>2)</sup> Ad adiumentum ergo mulier data est viro, quae generaret; ut homo homini adiumento foret. Denique antequam mulier formaretur, dictum est de Adam: Non est inventus adjutor similis illi.<sup>3)</sup> Adiumentum enim homo nisi de homine habere non poterat. Ex omnibus igitur animantibus nullum animal simile, et ut absolute dicamus, nullus adjutor hominis inventus est. Muliebris igitur sexus adjutor expectabatur. Ergo secundum Dei voluntatem, vel naturae copulam, invicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, ac velut in medio omnes utilitates ponere, et ut verbo Scripturae utar, adiumentum ferre alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo; ut inter nos societatis augeatur gratia. Nec quisquam ab officio vel periculi terrore revocetur; sed omnia sua ducat, vel adversa vel prospera. Denique sanctus Moyses pro populo patriae bella suscipere gravia non reformidavit, nec regis potentissimi trepidavit arma, nec barbaricae immanitatis expavit ferociam: sed abjecit salutem suam, ut plebi redderet libertatem. Magnus itaque justitiae splendor, quae aliis potius nata quam sibi, communitatem et societatem nostram adjuvat; excelsitatem tenet, ut suo iudicio omnia subjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima avaritia infirmaret atque inflecteret tantae virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare divitiis: justitiae formam exuimus, beneficentiam communem ami-

1) Ps. 8. 2) Gen. 2. 3) Ibi.